APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM

CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R.

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

GUSTAVUS ERICSSON,

GOTHOB.

DIE 18 DEC. 1840.

P. XLIV.

LUNDÆ,
TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXL.

Aphorismi Respondentis.

I.

Qui universam historiam scribere adgreditur, rem præ aliis difficilem moliri credimus, eam præsertim ob caussam, quod in hoc scriptionis genere jure requirimus, ut ita in re, quam tractat, versetur scriptor, ut omnem sui ipsius suarumque opinionum memoriam quasi abjiciat, judiciique libertatem legentibus relinquat; quam quidem sui ipsius oblivionem difficillimam habemus in *Religionis*, quam quisque profitetur, fatis probe enarrandis.

II.

Institutor, cui profectus discipulorum sunt curæ, omni animo in id incumbat, ut eandem, nec mutatam, sequatur methodum, quippe quod haud parum ad progressus eorum non modo accelerandos, sed etiam maturandos conducat. Hinc videmus, quantnm instituendi ratio, quæ dicitur *ambulatoria,* reliquis antecellat docendi methodis.

III.

Multa, quæ barbariem referunt, Latinæ linguæ vocabula novis Christianismo ortis ideis originem debent neque sine ambage verborum vitari potuerunt.

IV.

In hoc cognoscitur animus nobilitatis Suecanæ bello tricenario nobilissimus, quod non modo operam curamque, sed fortunas etiam in re bene gerenda posuerunt, exemplum secuti Regis ut agris ditissimi, ita ad publicam sublevandam inopiam paratissimi.

danti nec promittenti pro se consentiat sub periculo honoris sui, quia symouiacum est.

De Synodali congregatione.

Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ et sub pæna trium marcarum ut omnes præpositi cum testibus syuodalibus de singulis præposituris vicissim assumendis ad synodum nostram episcopalem in octava Apostolorum Petri et Pauli celebrandam scaras veniant annuatim.

Similiter ibi omnes conveniant sacerdotes curati, nec tantum hi qui administratione sacrorum domini a nostris officialibus deputantur, vel qui aliquo legitimo impedimento éxcusantur, ipsique præsentes devoti tribus diebus continuis in suppelliciis suis divinis intersint offiiciis, processionibus synodalibus, sub præfata pœna trium marcarum, quam pænam per cuniariam pro usu studentium volumus reservari.

Insuper nostri mandati contemptores ad hujusmodi notram evocationem synodalem, qui maliciose et sine justa caussa et rationabili impedimento se absentaverint per triennium, ix marcis irremissibiliter emendabunt, quam emendationem etiam pro usu studentium volumus reservari et singulorum absentias per procuratores studentium præcipimus fideliter consignari et nisi docuerint se fore - - - - - - - - vel legitime impeditos infra quindenam post synodum coram nobis vel procuratoribus puniantur prout superius est expressum.

De interdicto et sententia excommunicationis.

Probibemus distincte præpositis ruralibus, ne quis eorum interdictum vel suspensionis sententiam nisi terna monitione præmissa et in scriptis proferre præsumet et expressim in ipsis scriptis caussam per quam sententia profertur, prout pœnam suspensionis ab officio et ingressione ecclesiæ secundum jura duxerint evitandam.

Ad ferendam autem excommunicationis sententiam nullus eorum ostendere se præsumat, nisi spiciali nostra vel capituli nostri commissione, scilicet processum negotii sui referat priori.

Volumus insuper quod quilibet curatus qui transcriptum hujus statuti in ecclesia sua infra festum nativitatis beatæ Mariæ virginis proxime affuturum non

habent in tribus marcis nostris deputandis usibus puniantur. Protestamur etiam per hujusmodi statutorum publicationem quod non volumus nec intendimus prædecessorum nostrorum statutis in aliquo derogare, quo minus in ea parte quæ abolita renovata vel moderata non sunt, obtineant summam roboris firmitatem, ymo alias eadem approlamus, notificamus et innovamus, Acta promulgata et pronuntiata sunt hæc in ecclesia nostra cathedrali Scarensi in sessione et congregatione synodali sub Anno Domini MCDLXXII, mensis Julii die Septima, Pontificatus nostri anno septimo &c.

Cap. XXVI.

STATUTA CONCILII ARBOGENSIS A:o 1474.

Duplex vel etiam triplex horum statutorum existit fons, Registrum scilicet quod dicitur Lincopense, Holmiæ asservatum (pag. 333), Codex Cederhjelmianus, de quo supra, et editio illa statutorum Upsaliensis vetus, quam supra etiam commemoravimus. Exscripserunt autem Örnhjelmius et Peringschöldius (in Diplomatariis); edidit Nettelbladius. Nos Nettelbladium exprimimus.

In Nomine Domini, Amen. Nos Jacobus Dei gratia Archi-Episcopus Upsalensis, Henricus Lincopensis, Johannes Stregnensis, Ludechinus Arosiensis, et Gudmundus Wexionensis eadem gratia Ecclesiarum Episcopi, nec non Reverendi Patris Domini Johannis Episcopi Scarensis, Venerabiliumque Dominorum Capitularium provinciæ Upsaliensis procuratores, sub Anno Domini MCDLXXIIII infra octavas Epiphaniæ Domini in oppido Arbogensi, Arosiensis Diœceseos, pro celebrando provinciali concilio legitime congregati, attento quod vix aliquid adeo certum clarumque statuitur, quin ex causis emergentibus; quibus jura jam posita moderari non possunt, in dubium revocetur, ob humanæ naturæ varietatem et machinationes ejus inopinabiles, pro quarum antidoto secundum varietatem temporum statuta quandoque variantur humana; productis coram et publice recitatis prædecessorum nostrorum provincialibus statutis, quædam ex ipsis, licet suo tempore pia constitutione salubriter tradita, ob pœnarum adjectarum rigorem, duximus moderanda; nonulla vero juxta temporis exigentiam varianda aliqualiter, et ob sui obscuritatem lucidius declaranda; adjicientes pauca statuta nostra in hoc sacro provinciali digesta con-

cilio, prout inferius continetur, reliquis prædecessorum nostrorum statutis in forma, qua condita sunt, in suo robore duraturis.

Punctus I.

Deliberatione igitur posthabita diligenti, considerantes inprimis quantum dehonestet ecclesiæ puritatem incontinentiæ morbus clero, statutis aliis, quæ contra clericos concubinarios emanarunt abrogatis, hoc unum statuimus, decernimus et præcipimus districtius observandum, quod sub intimatione maledictionis æternæ nullus in sacro ordine constitutus teneat concubinam in domo sua, vel alibi, aut mulierem vehementer suspectam. Quod si honoris sui prodigus sic suspectam post monitionem canonicam, quam per ejus ordinarium aut ejus officialem fieri præcipimus, non amoverit, sciat se excommunicationis vinculo innodandum. Notorius autem concubinarius debet talliari per suum episcopum, cum consilio sui capituli, ad majorem summan pecuniæ, quam exsolvere potest de bonis propriis, ad pios usus per episcopum cum scitu sui Capituli convertendam, et nihilominus imponatur sibi pœnitentia salutaris. Qvuod si tunc relapsus fuerit, debet tunc suspensus ab officio et perceptione fructuum beneficii carceribus ad arbitrium judicis deputari. Si autem ut canis ad vomitum adhuc ad consimilem vitam redire non expaverit, privari debet beneficio et suspensus ab officio, prout visum fuerit judici, pœnitere. Et isti gradus observandi sunt, quando concubinæ sunt solutæ.

Qvod si mulier maritata fuerit, consanguinea, vel filia spiritualis, erit juxta canonicam sanctionem durius procedendum: et nullus quam prælatus auctoritatem habeat pænam carceris aut privatiönis in pœnam pecuniariam commutandi, quod si fecerit, duplum solvat infra tres menses ad fabricam ecclesiæ cathedralis, alioquin ab ingressu ecclesiæ sit eo ipso suspensus. Concubinis autem eorum, quia sponsum ecclesiæ dei ad illicitum concubitum admiserunt, publica septennis pœnitentia debet imponi. Qvod si prius relapsæ fuerint, carere debent, nisi infra mensem ante diem mortis consimilem pœnitentiam iterato susceperint, ecclesiastica sepultura. Sententiam autem excommunicationis nolumus eas incurrere ipso facto, juxta statutum Sabinensis, quod - - - ad id auctoritate nobis delegata nos Archi-Episcopus revocamus.

Pnnctus II.

Item quod Clerici publice alentes, aut nominantes aut appropriantes sibi filios pœna arbitraria puniantur; filii vero clericorum in sacro ordine existentium, si quid post patrem ex intestato perceperint excom-

muuicationi subdantur. Similiter et quicunque subtegerit bona sacerdoti infirmi vel defuncti.

Punctus III.

Item declaramus juxta consvetudinem provinctæ Upsaliensis clericos testari posse de quibuscunque bonis justo titulo acquisitis, volentes super hoc statutum Domini Nicolai Archi-Episcopi quoad omnia sua contenta inviolabiliter observari.

Punctus IV.

Item de procuratione Archi-Episcopi et suffraganeorum, de numero evexionum jus commune; et de numero nocturnorum statutum Sabinensis volumus et præcipimus observari.

Punctus V.

Item statuto Domini Sabinensis de *Decretalibus* per Episcopos possidendis adjicimus *Sextum* et *Clementinas*, districte præcipiendo mandantes, quatenus sub pœna in eodem statuto contenta quilibet episcoporum provinciæ Upsaliensis tria hæc juris volumina jure proprietatis habeat intra annum, et quoad vixerint studendo in eis possideant: et quod elemosinarium habeant juratum.

Punctus VI.

Item statutum: *In maligna* de captivatione Episcoporum vel clerisorum approbantes et confirmantes ipso statuto et facti notitia quemlibet esse requisitum decrevimus, nec ulteriorem requisitionem exspectandam fore ad statutum hujusmodi exequendum.

Punctus VII.

Item statuimus quod nullus episcoporum privet aliquem beneficio suo, nisi scitu et consilio sui capituli.

Punctus VIII.

Item quod nullus episcoporum sibi substituat successorem, coadjutorem vel titularem sine sui capituli consilio et consensu.